

DE ADMINISTRA. SACRAMENT. Fo. XXV.

Cum multum plerunque temporis, paruo cum fructu teratur in recēsen-
dis singulacim defunctorum nominibus, vbi viritum pro quolibet exi-
gitur vna oratio dominica, idq; interdum non citra suspicionem vel quæ-
stus vel ambitionis fiat. Nobis potius videbitur, vt populus ad communē
pro defunctis orationem pie ac deuote dicendam accendatur, & hæ genea-
logiæ intermittatur. Super qua re tamē, quod ad morē ciuitatis nostræ Co-
loniē. attinet, & cū parochis & cū senatu latius agere nō omitemus.

DE ADMINISTRATIONE SA-
cramentorum. Cap. I.



Ceclesiæ catholicæ vsus septem mysteria (quæ sacramen-
ta appellatur) obseruat, veluti septem quædā parata re-
media, per quæ deo visum est peccatis nostris mederi ac
nobis gratiæ suæ salutaris medicinā (diuersa tamē ratio-
ne) infundere. Quæ sunt, baptismus, confirmatio, eucha-
ristia, pœnitētia, extrema vnctio, ordo, & matrimoniū.

Quæ cur a Christo & ecclesia instituta sint, & a veteri-
bus sacramēta peculiariter appellata, deinde quæ illorū sit per gratiā dei effi-
cacia & virtus, nunc nō est dicēdi locus. Tantū admonebimus in p̄sēntia pa-
rochū, quæ illū circa dispensationē singulorū obseruare conueniat.

Instruendus populus, quid agatur in cuiuslibet sacra-
menti exhibitione. Cap. II.

Quia igitur in sacramētis aliud videt atq; aliud agitur, instruēdus est po-
pulus in cuiuslibet exhibitione, quid in eiusmodi religioso arcano, Aug. in lib.
de ao. Cibr.
(id em̄ sacramētum sonat) agatur. Cum em̄ in sacramētis istis per signa quæ
dā sensibilia infundat insensibilis gratia, congruens externis signis excitāda
est fidelū fides & deuotio in deū, vt credentes ac diuinū mysteriū intelligen-
tes ad dei ac saluatoris nostri Iesu Christi participandā gratiā accedāt. Quod
fiet, cū parochus sub administrationē cuiuslibet sacramēti, sacra concione po-
pulum breuiter admonuerit quid in ea re agatur:

Quid agatur in baptismo. Cap. III.

ET vt de sacro baptismo exordiū capiamus, docendus est populus, q̄ il-
lic aboleat vetus homo, remisso omni peccato, atq; nouus exoriatur ab
omni labe purgatus per fidē in Christū, q̄ illic qui baptizatur, lauetur laua-
cro regenerationis & renouationis spiritus sancti in sanguine Christi pro
nobis effuso, q̄ illic veterem Adā exuimus ac vicissim Christum induimus,
consepulti cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus surre-
xit a mortuis per gloriā patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, quæ
admodum hæc Enchiridion latius edocebit.

Gala. 4

Tit. 3
Roma. 6

Cuius